



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

Q. 120. An & quando Communio danda sit amentibus, semifatuis,  
phreneticis, energumenis, surdis & mutis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42545**

653. Notandum, quod, cum pueri per etatem non habeant judicium, quo sufficienter affiment hoc divinissimum Sacramentum, raro admittendi sint ad Communionem, & non nisi quando aviditatem, & spiritualem quandam famem, ostendent, ac se diligentius solito prepararent, ne frequentia paulatim gignat contemptum & quoddam fastidium.

654. Q. 110. An quando Communio danda sit amentibus, semifatuis, phreneticis, energumenis, surdis, & mutis. R. Colligetur ex seqq.

§. 1. Perpetuò amentes, si baptizati sint, possent cum fructu suscipere Eucharistiam, nam aequiparantur infantibus, de quibus n. 645. dictum est: attamen non legitur datam esse illis Eucharistiam; nec dari debet, inquit S. Thom. q. 80. a. 9. in O, quia id prohibet Rituale Pauli V.

655. §. 2. In dubio, an adulti amentes utantur ratione, Schild. t. 6. n. 23. dicit non esse dandum Viaticum, sed Gob. t. 4. n. 173. 417. 418. melius dicit esse dandum, quia in dubio favendum est potius homini, pro quo institutum est Sacramentum, cum certò ipsi prosit, & probabiliter possit etiam causare primam gratiam, si forte homo ille in mortali esset, de quo saltem attritionem habuisset.

656. §. 3. Illis, qui usum rationis habuerunt, nec sciuntur amisisse in mortali, dandum est Viaticum, S. Thom. suprà, & Catech. Roman. de Euch. c. 11. n. 2. Requirunt tamen, ut prius ostenderint devotionem ad illud, sed Gob. n. 135. absolute dicit dari posse, quia censendi sunt voluisse, & probabile est in eo casu sufficere voluntatem interpre-

terpretativam secundum dictam. 170. Ideoque etiam *Dicast.* d. 9. n. 183. plus non requirit, quam quod aliquis ante amentiam bene vixerit, & bonus vir sit habitus. Addunt *Villal.* & *Tamb.* de *Comm.* c. 4. n. 4. contra *Baunium*, etiam aliquoties dari posse, praesertim si aliquam reverentiae speciem retineat. Hoc ipso autem, quod nescias amisisse usum rationis in mortali, præsume esse in gratia, quia potuit vel sine ulla vel cum levi tantum culpa amisisse, *Gob.* n. 151. cum communi. Econtra, si certò scias paulò post mortale incidisse in amentiam, nec habeas positiva fundamenta poenitentiae, tamen malus præsumitur semper malus, hinc non erit illi danda *Communio*, *Gob.* n. 154.

§. 4. Si moribundus nullum exhibeat signum doloris de peccatis, sed tantum conqueratur de doloribus corporis, attendi debet, ab omnibus consideratis censetur compos mentis, si enim censetur compos, dandum non est *Viatricum*, sed habendus est pro impenitente: Si non censetur compos, dari debet, nisi positivè constet esse in mortali, secundum jam dicta.

§. 5. Adulti, si sint semifatui, vel debilem rationis usum habeant, obligantur pracepto *Communionis paschalis*, si judicentur capaces absolutionis, & absit periculum irreverentiae, s. *Th.* supra, *Tamb.* n. 4. *Bernal* d. 44. n. 66. *Lugo* d. 13. §. 5. *Gob.* n. 138. dicens ita sentire omnes, *Dicast.* d. 10. à n. 122., in his enim non est, cur exspectetur plenior usus rationis, ut sit in pueris, cum in prioribus non sit spes plenioris usus: Et quod de semifatuis dictum est, magis valet de planè fatuis

fatuis tempore lucidi intervalli : additque Gob. se  
daturum semifatuis etiam omni meas.

659. §. 6. Si quis, non quidem perpetuo attamen  
a longo tempore hastenus stultus , cum aliis ac-  
cedat ad scannum communicantium , putat  
J. Sanch. d. 38. n. 9. præsumi posse habere luci-  
dum intervallum , ideoque dari posse Commu-  
nionem , sed recte contradicit Gob. n. 126. , quia  
stulti agunt , uti simiæ , quod ab aliis fieri vident.

660. §. 7. Phrenetico aut deliranti , sive ex ma-  
nia sive ex morbo , si quando alligatur , accipiat  
cibes , debet etiam alligato dari Viaticum , S. Th.  
Aversa q. 8. f. 1. §. Quartò. Sanch. Dian. Gob. n.  
115. Si dubites , an reverenter suscepturnus sit ,  
proba in hostia non conserata ; si non succedat  
in una , proba in altera etiamque pluribus : & si  
aliquam reverenter suscipiat , da etiam conse-  
cratam , Laym. Castrop. Dian. Gob.

661. §. 8. Quamvis aliquis in phrenesi dicat se nolle  
Viaticum , est nihilominus daendum , si proba-  
biliter præsumatur voluisse , & absit periculum  
irreverentiae , uti dictum est n. 176.

662. §. 9. Energumeni , etiamsi propter peccata  
prius commissa obfideantur a dæmons , possunt  
post pœnitentiam cum fructu Eucharistiam su-  
scipere , S. Thom. ad 2. J. Sanch. d. 38. Aversa §.  
Quinto. Lugo n. 67. Dicast. d. 9. à n. 206. Rayn. in  
Heterocl. Spirit. Tem. 16. f. 1. p. 4. n. 44. Ratio  
est , quia , quamvis in primitiva Ecclesia non  
fuerit usitatum , ideoque fieri non debere dize-  
rit S. Dionys. de Ecclesiast. Hierarch. c. 3. , tamen  
non ideo nunc est prohibitum , præsertim post  
Conc. Arausicanum I. quod Can. 14. ita habet :  
Energumeni jam baptizati , si de purgatione sua cu-

velli;

rent, & se felicitudini Clericorum tradunt, monitisque obtemperant, omnimodis communicent, Sacramenti ipsius virtute, vel muniendi ab incursu dæmonii, quo infestantur, vel purgandi, quorum jam ostenditur vita purgatoria. Pro hoc etiam authoritatem SS. Cassiani & Propprii adducit Dicast. supra: ex quibus inferuat Laym. & Gob. à n. 148. crebro illis dari posse, si hoc ad solatium spirituale conducat, maximè autem dari debere pro Viatico & Paschate, quamvis dæmon impediatur, quominus profiteatur Christum præsentem, Laym. Gob. Lohner. Semper tamen abesse debet periculum irreverentiaz.

§. 10. Adultus, à nativitate surdus & mutus, 663.  
est capax Eucharistie, quia infirmi potest per signa, ut sciat hunc spiritualem cibum discernere à corporali, uti exempla docent, Sanch. Dian. Laym. Castrop. Gab. tr. 4. cas. 7., qui addunt damdam in Paschate & articulo mortis: an autem saepius, decernet Confessorius pro ratione intelligentie, modestie, pietatis, & aliorum, quæ in eo advertet. E contraria si à nativitate sit simul mutus, surdus & cæcus, censendum est veluti infans aut perpetuus amans, cum nullo modo instrui possit, vel rescire de hoc Mysterio, unde illi non debet dari Eucharistia, Gob. Lohner. Denique si post usum rationis & instructionem aliquam factus esset surdus mutus & cæcus, secundum Lohner dari posset illi sola extrema Unctio; sed non video, cur non etiam Eucharistia, saltem pro Viatico.

Q. 121. Quid notandum sit circa Communionem 664.  
quotidianam. R. Authores fuerunt in hoc puncto  
valde divisi, teste Rhodes d. 1. q. 4. l. 1. §. 2. & 3.

Et